

† R. P. Ioannes Laurentius Jansen (1860-1940)

(Prov. Holl.)



Occasione iubilaei adamantini sacerdotii Patris Kronenburg (1) Adm. R. P. Ios. Lemette, Rector collegii Falcoburgensis, inter alia verba honorifica, Provinciae nostrae prosperitatem censuit tribuendam amori, quo S. N. Fundatorem prosequeretur. Iisdem sane verbis extollere licet confratrem, cuius nomen huic articulo superpositum est, et quem quondam Pl. R. P. Provincialis M. Mol laudavit « operum S. Alfonsi admiratorem, doctrinae defensorem, historiae propagatorem ».

Vitae eius cursus simplex fuit. Natus in Germaniae septentrionalis pago Niel ro' Aug. 1860, festo S. Laurentii, eodem anno Amstelodamum commigravit; ibi enim eius pater docenda lingua germanica vertendisque talibus libris familiae sustentationi providebat. Ioannes noster, post professionem d. 15 Oct. 1877 Buscoduci peractam, studiorum cursum Wittemii absolvit. Deinde per 6 annos Lector iuvenatus Ruremundensis fuit. Anno 1890 Wittemii, ubi deinceps totam ulteriorem vitam degit, fratri Alfonso 12 annis maiori (2) in cathedra philosophiae successit.

(1) Cf. *Analecta* XVI (1937), 147-151.

(2) P. Alfonsus Jansen quā Lector mira docendi arte pollebat. Anno 1890 a votis dispensatus, in Helvetiam transiit, invento ibi in dioecesi Friburgensi Episcopo benevolo. Dolebat egressum ac semper amicus Congregationis mansit. In sua paroecia praedicabat vitam D.N.I.C. iuxta magnum opus cl. Grimm et multos audientes ad suum suggestum congregabat. Scripsit *De facultate docendi* (Bruxellis 1885), quem librum Aug. Onclair in linguam gallicam vertit. Vitam Bernae finivit a. 1920. Cf. *Bibliographie générale* II, 210.

Anno 1903 P. Ioannes Laurentius cathedram dimisit, ut cum Patribus Ios. Aertnys et Franc. Ter Haar vires suas daret periodico recens condito *De Nederlandsche Katholieke Stemmen*, cuius moderator praecipuus fuit annis 1910-1937. Anno 1913 a Rev.mo P. Generali Murray renuntiatus est *Lector S. Theologiae honoris causa*.

Bis P. Jansen iter in Foederatos Status Americae suscepit, scil. a. 1905, ut comitatum praerberet examini Monialium nostrarum, quae e monasterio Marienthal (Partij -Wittem) ad novam foundationem in Canada (Sainte-Anne de Beau-pré) condendam proficiscebantur; et anno insequenti, ut cum P. Iosepho Hild, theologiae moralis in Ilchester Lectore, novam editionem compendii Patris Konings pararet, quae tamen nunquam lucem vidit. Semel (1926) quoque Romam vocatus est, ut sex novis Episcopis Sinensibus, qui a Summo Pontifice Pio XI consecrationem accepturi erant, exercitia spiritualia latina lingua traderet (1).

\* \* \*

P. Jansen fuit verus filius S. Alfonsi. Flagrantissimus quo in S. Fundatorem et Congregationem ferebatur amor quasi aureum filum totam eius vitam pervadit. Dotatus ingenio perspicaci ac dicendi scribendique facilitate, eruditis suis elucubrationibus, iisque variis linguis (hollandica, germanica, gallica, latina) editis, non solum intra, sed et extra angustos Neerlandiae fines nomen eruditissimi viri adeptus est. Scripta vero eius praecipue tendebant in defensionem doctrinae S. Patris nostri, cuius praecipuis capitibus singulare studium dederat. Hinc mirum non est quod, cum ineunte saeculo XX novum certamen de systemate morali exarsisset, etiam P. Jansen athleta in campum prorupit et cum Patribus Aertnys, Ter Haar, Wouters aequiprobabilismum acerrime vindicavit. Dum vero ceteri magis quaestionis partem *moralem* dilucidabant, ipse praesertim aspectum *philosophicum* illustravit. Eum intrepidum egregieque armatum adversarium experti sunt Iesuitae Le Bachelet Lehmkuhl, Cathrein et Iesuitarum discipulus Meffert et ex-Iesuita Hoensbroech; attamen etiam illi Quadrumviri Wittemienses impedire non potuerunt (ita saltem multi opinantur), quominus hodie fere universus terrarum orbis factus sit probabilista.

Amor S. Fundatoris effecit quoque, ut P. Jansen historiam S. Fundatoris eiusque sequacium assiduo studio scrutaretur, licet nondum iverit « ad fontes », archiva perlustrando. Suorum studiorum fructus invenis in vita S. Alfonsi, quam praesertim ad usum iuventutis litterarum studiosae exaravit, in editione selecta epistolarum S. Doctoris, in vitis Ven. Ioannis Nep. Neumann, Patris Poilvache, Matthaei Ripa.

(1) *Analecta* V (1926), 319.

Eadem filiali devotione motus laudis testimonia, a Summis Pontificibus aliisque viris dignitate vel officio illustribus Doctori Zelantissimo tributa magna solertia collegit et ordine disposita peculiari libello coadunavit, ut omnium harum vocum conspiratio quasi laudis concentum in honorem S. Patris nostri formaret (1).

Universum opus litterarium Patris Jansen comprehendit 17 libros et ingentem numerum articulorum, in 33 diversis peridicis, tam patriis quam exteris, et in variis linguis publicatorum, qui fere totam theologiae catholicae materiam complectuntur. Quamobrem R. P. De Meulemeester de eo recte scribere potuit: « Sa production littéraire, aussi remarquable par son caractère scientifique que par sa fécondité, le placent au premier rang des écrivains de la congrégation » (2).

P. Jansen a S. Patre Alfonso mutuaverat tesseram veri Redemptoristae, *zelum animarum*, quem imprimis manifestavit dirigendis animabus in sede poenitentiae et tradendis exercitiis spiritualibus tam sacerdotibus quam religiosis utriusque sexus. Hisce laboribus apostolicis se totis viribus se dabat; fervor quo loquebatur ostendebat, quam plenus esset veritatibus sublimibus a se praedicatis; gracilis autem et ascetica eius figura speculum erat animae mundanis affectibus vacuae et sursum ad caelestia aspirantis.

Complexio neuropathica causa fuit cur P. Jansen non semper satis sibi constans esse videretur; et nervorum irritatione quandoque aliis, saepius vero sibi oneri exstitit. Quantarum pugnarum causa, quantarum etiam palmarum occasio hic defectus naturalis ipsi fuerit, Ille solus novit, qui corda et renes scrutatur, quique interim servo suo bono et fideli iustam mercedem largitus est.

Dilectus confrater mortuus est octogenarius in valetudinario Heerlen, Dominica III post Pascha, qua externa sollemnitatis Sancti Ioseph, Patroni bonae mortis, celebratur. Illo a. 1940 fuit dies 14 Aprilis, quo Ecclesia primum philosophum christianum S. Iustinum itemque S. Lidvinam de Schiedam, a Patre Jansen singulariter veneratam (3), recolit. Nonne licet pie credere Divini Infantis Patrem Nutricium una cum Philosopho Syro ac Virgine Schiedamensi advolasse, ut hunc eminentem nostri Instituti sodalem in Olympum adducerent? R.I.P.

L. VONCKEN

(1) Vide *Analecta* VII (1938), 337-341 horum testimoniorum supplementum.

(2) *Bibl. gén.* II, 211.

(3) Anno 1932, appropinquante quinto beatae mortis S. Lidviniae centenario, P. Jansen articulum de ea in *Nederl. Kath. Stemmen* publicavit, qui deinde, latine, gallice, germanice redditus, approbante Episcopatu Neerlandiae, ad omnes orbis catholici Ordinarios transmissus est, ut supplici libello subscriberent S. Sedi porrigendo ad S. Lidvinam « caelestem patientium Patronam » proclamandam et ad eius festum universali calendario inserendum. Centeni Praesules supplicationi adhaeserunt, et causa Romae introducta est. Movebatur P. Jansen ad S. Lidvinam devotionem hac maxime ratione, quod S.P.N. Alfonsus Sanctam illam neerlandicam toties tantaque cum veneratione commendat.